

Roma 2. Octobr. 1683.

ADvenit Secretarius Regis Poloniae cum primario primi Vezirij Standardo utpote magnanimitatis Regis illius tessera, illudq; Pontifici, Regis sui nomine, obtulit: Est illud eximia magnitudinis viridisq; coloris, cui arabicis literis subsequencia, jussu Pontificis in Latinum versa, inscripta erant.

Ex una parte.

Auguramur tibi (Vezirio) felicem prosperumq; successum, & ut Deus remittat tibi peccata, sanctamq; suam tibi gratiam concedat.

Ex altera parte.

Deus tibi auxilium porrigat, & victoriam tribuat, qui in cordibus fidelium vult habitare, ut ita propagetur puritas & sinceritas fidei suae.

Circumcirca in margine ab utraq; parte.

Non est Deus, praeter Deum & Mahometes Propheeta Dei.

Et Standardum illud, quod solet dare Turcarum Imperator Primo Vezirio, quotiescunq; ad magnam expeditionem proficiscitur. Hinc in Capellam Pontificiam sub Missa post offertorium in terram dejectum atq; a Pontifice calcatum, consecratum est, & ad perpetuam Dei memoriam ad Sanctum Petrum affigetur. Ceterum continentur in omnibus gratiarum actiones pro tanto Dei beneficio, & praeterlapso die Martis cantata est in omnibus Ecclesijs Missa defunctorum pro animabus militum, qui tam in, quam extra Civitatem Viennensem occubuerunt.